IN FVNERE

PHILIPPI II.

HISPANIARVM REGIS

LAVDATIO IN VRBE LVCENSI

per Ciuem habendæ, non tamen,

Habita

BELISARIO MORGANTIO

Autore.



LVCAE,

Apud Vincentium Busdraghium. 1598.

Superiorum permiſſu.

Ad inſtantiam Octauiani Guidoboni.

CVM Illuſtriſſimæ huius Reipubli cæ mandato hodiè ex alto ſugge-ſtu Philippum Auſtriacum, qui nu per obiit Regem omniū toto Or-be Terrarum Maximum, maximè-què memorabilē more Maiorum ſim Laudaturus; Complura qui-dem certè impedimenta mihi ſeſe offerunt, compluresq; occurrunt difficultates, quibus, & mentem animi mei perturbari, & ab inſtituto orationis cur ſu deflecti, in tranſuerſumq; rapi poſſe liquidò perſpicio. Primum enim ſupremus Magiſtratus vna cū Senatu atris veſtibus indutus, dum tacitus, demiſſoq; ſupercilio ſedet, pluſquam modica mœroris inditia præ ſe ferre videtur, & populus ad funeris pompam vndiq; circumfuſus dum con-lachrymatur, ac pro ſe quiſq; Patronum, Tutorem, Pa-rentemquè amiſſum conqueruntur, abſq; dubio in cauſſa ſunt, vt ipſe quoq; pari moleſtia affectus ægritudini penè ſuccumbam, multorumq;, quæ dicere decreueram obliui ſcar; Deinde ſi Religioſiſſimi, Fortiſſimi, Clementiſſimiq; Regis virtutum cumuli, titulorumq; aceerui vix longo tem pore, multiſq; eruditiſſimorum ſcriptorum voluminibus explanari poſſunt. Quo pacto, quibuſuè modis ſemiho-ræ ſpatio tali breui, tumultuariaquè orone nobiliſſimo huic cœtui exoluere, ac pro dignitate referre queam, non equidem video, quum potius id meum eſſe, neq; viriū neq; neruorū, vt ingenuè fatear, neceſſe eſt; Nihilo tamen ſe-cius in tanto negotio, vel Piſcatorem, vel Agricolam imi tabor, quorum alter exiguæ, fragilisq; Nauiculæ dominus in altum progredi non audet, metuens, ne ab impotenti Auſtro deprehenſus rapidis vndarum vorticibus obrua-tur, ſed non longè ab Tiberi, Thuſcique littore piſciculos venatur; alter verò ex ampliſſimo [illegible] nullos tan-tum

tum

tum flores decerpit, quos herò muneri offerat, pari enim ra-
tione ipſe vaſtum Regiarum virtutum Pelagus intrare non
audens, nec cunctas horti delitias ſumere, cum meę imbe-
cillitatis probè ſim conſcius clariſſima quæq; Philippi deco-
ra, ſplendidiſſimaq; facinora exornatiſſimo hoc loco haud
ordine enarrare enitar, vaſto .n. maximarum rerum Pelago
demergerer, & nimiis hortentium odoramentorum faſcibus
depreſſus planè conciderem; Ex innumeris igitur tantum
paucula quædam velut quoſdam piſcatoris piſciculos, aut
Agricolæ floſculos vobis proponam, vt horum adiumento
(etſi non omnino) ex aliqua tamen parte demandatum mu-
nus complere atq; exequi valeam.

Cæterum tametſi nonnulli, quibus exornationum præ-
cepta tradere cordi eſt, ad demortui laudem Patriæ clarita-
tē, ſtirpiſq; generoſitatem magnoperè pertinere prçcipiant,
ipſe tamen huius ſum ſententię, Patriæ claritatem Philippo ni-
hil laudis tribuere poſſe, propterea quod non Patriam Phi-
lippo, ſed Philippum Patriæ lumen attuliſſe, fatendum eſt,
vrbs enim, in qua Philippus ortum traxit, primumq; Cœlū
hauſit, non ob id putatur celebris, quòd tantum Regem in
lucem ediderit, ſed quòd Summi Dei beneficio tanti Regis
natale ſolum illi contigerit, Quòd autem ad ſtirpem attinet,
dubium non eſt, quin ea initio aliquid non modò claritatis,
verum etiam vtilitatis Philippo attulerit, Veterum ſi quidē
Philoſophorum conſtans eſt opinio; A Generoſa ſtirpe præ-
ter nobilitatis ſplendorem quoſdam igniculos virtutum, quę-
damq; (vt ità dicam) ſemina in poſterioritatem transfundi,
ità vt per longam annorum ſeriem fortibus fortes, & bonis
boni procreentur, cumq; ſtirps Auſtriaca tantæ præſtantiæ
ſit, vt multis iàm ſeculis nullos niſi Reges, atq; Imperato-
res eximia virtute inſignes ediderit, ità perſpicuè apparuit
in ortu, Philippo, & Regiæ claritatis & præclaræ indolis
conſueta munera non denegaſſe. Ex ſtirpe igitur Auſtriaca

ortus eſt Philippus patre Carolo V. Imperatore vno omnium poſt Romani Imperij interitum Maximo, maximaq; virtute prædito; Atq; hic eſt ille Carolus, quem non ſemel armati Barbarorum exercitus contremuerunt, cuius in Pannoniam aduentantis apparatum vſq; adeo exhorruit Solymanus Turcarum Rex potentiſſimus, vt intellecto huius pugnandi cõſilio conuerſo ſtatim exercitu citato curſu in Thraciam profugerit; Philippus ergo ab ineunte ætate vſquè ad exitum adoleſcentiæ educatus ſub optimis integerrimisq; Magiſtris, nullas niſi Regias didicit artes, nulla ſtudia eſt complexus, niſi ea, quæ, magnanimum Regem, totq; Regnorum, tàm noſtræ, quàm alterius continentis hæredem decebat, præcipuèquè; quoniàm Catholicus Rex erat futurus, chriſtianàm pietatem, quam poſtea toto vitæ curriculo purriſſimè, ſanctiſſimèque ſeruauit, diligenter, nauiterq; fuit edoctus, indeq; eſt ortum, vt Rex poſtmodum declaratus quamplurimos ſacerdotes pecunia donauerit, nauibusq; impoſitos non ſine magna commeatus copia, nè in longinqua nauigatione victus inopia laborarent, in Americas; trãſmarinasq; alias Regiones miſit, vt rudes populos ſibi ſubiectos per rectam Chriſtianæ Religionis viàm dirigerent; verèq; pietatis myſteria edocerent, catholicamquè indies fidẽ ampliarent; In ipſo autem iuuentæ robore Regnorum omnium Regimen à Carolo patre ſuſcepit, qui annis grauis, & militiæ laboribus non modò defatigatus, ſed penè etiam erectus, ſub ipſum obitum requiem quærebat, & Diuinis potius, quàm humanis animum applicuerat. Philippus igitur vniuerſę hæreditatis adminiſtratione ſuſcepta, quippe qui natura ſenilibus animi dotibus in ipſa iuuenta (mirum dictu) maximè inſignis erat, Cæſareiq; Auguſto non abſimilis, quẽ iuuenem propter prudentiam ſenes audiebant; In ipſo ſtatim Regiminis ingreſſu ad ſuam exiſtimationem, dignitatem què plurimum facere conicit, ſi ſuarum virtutum ſpecimẽ

ali-

aliquod totius Europæ Principibus, nationibuſq; præberet, fortè autem accidit, vt adhûc puer ex quodam Homeri carmine didicerit; Regem oportere iuſtum ſe præſtare, ſtrenuumq; bellatorem. Itaquè Homeri carmen pro dogmate ſuſcipiens eodem tempore, & in Italia, & in Gallia iuſtitiæ, fortitudinisquè manifeſta ſigna edere decreuit; in Italia quidem cum Caraſios fratres Pauli Quarti Pontificis Nepotes in viam Iuſtitiæ inuitos etiam reddegerit; qui nulla iniuria laceſſiti, Gallos in Italiam ad Regnum Neapolitanum perturbandum contra ius, faſq; acceſſiuerant, & nonnullos Romanos Proceres Regum Hiſpanorum iampridem clientes in Adriani Mole captos detinebant; Nàm per Ferdinandũ Albæ Regulum Gallos è Regni finibus expulit, & attritis in latio Caraſiorum conatibus Pontificem de ſuorum ſalute ſollicitum ad æquitatem, concordiamquè reuocauit, Regno, ac Romanis Clientibus omni moleſtia liberatis; In Gallia verò, cum ad ſuum exercitum profectus, cũ Emanuel Philibertus Allobrogũ Princeps præerat ad Samarobrinam ſtrenuum bellatorem ſe geſſerit, quãdoquidem collatis cum hoſte ſignis tanta ſtrage Gallos affecit, vt nulla maior noſtra ætate in illis Regionibus extiterit, Regis etenim Henrici exercitus cæſus diſiectusquè fuit, & Memorantius Imperator cum primoribus Regni Proceribus captus; paulò poſt tamen cõtra omnium opinionem inter Principes Chriſtianos pax eſt ſequuta, in cuius conditionibus pertractandis mira apparuit Philippi victoris humanitas, atquè clementia Memorantio, reliquiſquè captiuis Henrico reſtitutis; Et ſub idem fermè tempus Carolus Cęſar in Vallis Oletanæ Cœnobio inter ſanctos Sacerdotes, mortem cum vita commutauit. Quibus ità ſe habentibus Philippus iam grandiora, ſublimioraquè animo volutans ſibi maximæ gloriæ fore putauit, ſi diuerſos ab aliis Regibus mores præ ſe ferret. Cæteri ſiquidẽ Reges coactis exercitibus magno animi ardore bella

gerunt, vt, vel ſua Regna longè, latèquè amplificent, atquè protendant, vel per agrorum vaſtationes, oppidorum incendia, Populorumq; cædes celebre nomen poſteritati relinquant; Ipſe autem ſatis magna ſe opere precia facturũ cenſuit, ſi Homericis virtutibus ſuperius memoratis Heroicas quoquè adiungeret. Nam quemadmodum veteres Herôes, vt Hercules, vt Liber Pater, & reliqui, in id plurimũ ſtudij, atque operæ contulerunt, vt ex Orbe Monſtra, Tyrannosq; tollerent, & per labores, atquè ærumnas genus humanum iuuarent, vt diuinos demum honores adipiſcerentur; Ità Philippus, vt perpetuam gloriam, famamquè nominis ſempiternam ſibi compararet, vnum omnium pulcherrimum, ſuæq; pietati (cuius ſuprà meminimus) quàm maximè conſentaneum duxit, Hæreticorum, atquè Turcarũ, qui noſtro æuo Monſtra, Tyranniquè iurè optimo vocari poſſunt, infeſtiſſimum ſe hoſtem præbere, & Orthodoxæ fidei cultoribus ſummopere, nixuquè prodeſſe; nequè enim catholici cognomento contentus erat, niſi vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ columen quoquè, parensquè haberetur; Verum quo pacto dum vixit, modò Turcas, modò Hæreticos fuerit inſectatus, & quibus eos detrimentis affecerit (poſtquam penitùs delere non poterat) profectò non abre fuerit paucis explanare, anteaquàm ad ea, quæ ad Chriſtianorum emolumentum patrarit, dicendo perueniamus; ac primum de Turcis; Quo tempore Philippus accepit Pyâlint Othomanicæ claſſis Præfectum Solymani iuſſu Melitam obſidere eo conſilio, vt Melitenſes Equites (ſic .n. ſolymos milites vulgò nominant) aut funditus perderet, aut ſaltem ea occupata Inſula alio exturbaret extemplo Garciæ Toletano Petri filio, qui Siciliam pro Rege gubernabat, imperauit, vt diligenter, ſedulòquè caueret, ne benemeritos de nomine Chriſtiano Equites Turcarum iniuriis opportunos relinqueret, quamobrem Garcias in apparanda claſſe, co-

gendiſquè Militibus tota fermè æſtate conſumpta, de ſeptembri tandem menſe cum ſeptuaginta roſtratis Melitem appulit, expoſitisquè in Inſulam Militibus Turcas portum obſidentes aggreſſus magna cæde edita fugauit, in claſſemquè reiecit, quod cernens Pyâlis idoneam nactus tempeſtatem vela fecit, & re infecta inglorius Bizantium rediit, magnũ ex hac Philippi prouidentia Solymano damnum contigit, maius ſexennio poſt Selymo; qui mortuo Solymano ſucceſſerat, cùm Cypri tuendæ gratia inter Pium Pontificem, Philippum, ac Venetos belli ſocietate inita Ioannes Auſtriâcus Philippi frater nothus totius belli terra, Mariquè Imperator declaratus ad Echinadas Acarnaniæ Iuſulas nauigauit, ibi .n. conſerto cum Othomanica claſſe admodũ numeroſa memorabili certamine Selymum tota fermè claſſe, exuit & Alì Præfecto obtruncato & cunctis magni nominis Prædonibus interemptis Occhyalì excepto, qui res perditas cernens fugam arripuit, vixquè cum xij. triremibus tantæ cladi ſe ſubtraxit; Nàm quid ego de tertia, & quarta calamitate Turcis illata dicam? Cum triennio poſt nauale prælium nondum elapſo idem Ioannes Philippi iuſſu Hiſpanica claſſe in Lybiã profectus Tunetum vrbem Regiam cæpit, hoſtiliterquè diripuit; Et recentiori tempore cum Petrus Toletanus viginti tantum triremibus Patras Achaiæ vrbem eſt depopulatus. Enimuerò erat eâ tempeſtate Philippus in omnes occaſiones mirificè intentus, & tanquam Iouis oculus omnia circũſpectans eò ſtatim ſuas Naues, ſuaquè auxilia dirigebat, vbi Turcas immanes Tyrannos aliquò malo vexare, atquè affligere poſſet, & ita Barbarorum ſuperbiam, atquè audaciam comprimere; Et hinc eſt, quòd ſubſequentibus annis exorto in Pannonia bello, cum magnã pecuniæ vim, atquè equitum, peditumquè Belgarum non contemnendam manum Rodulfo Cæſari gentili ſuo ſubſidium mitteret, vt hoſti cõmodiùs reſiſti poſſet, magnam etiam nummorum ſummam

Si-

Sigiſmundo Batolo ſuperioris Daciæ Principi tranſmiſit, vt ſtipendia perſolueret, & pro virili parte bellum protraheret: Cupiebat.n. Rex prudentiſſimus duplici de cauſa Sigiſmundum diutius in armis eſſe, Primum propterea quia in bellis contra Othomannos gerendis Daciæ Prouincia eſt tanquã propugnaculum Pannoniæ ſuperioris; Deindè quia nõ ignorabat hunc, ferociſſimi ſpiritus iuuenem, manuquè promptum maximo Maometti eſſe terrori, propter quoddam vaticinium, quòd Othomannis, qui mirificè ſuperſtitionibus ſunt addicti, exitium (vt aiunt) portendere videtur, aliquãdo ſcilicet futurum, vt ex Daciæ Montibus Lupi decurrentes Bizantium, totumquè Othomannicum Imperium ſint deuoraturi, atquè id propterea Turcæ Dacica magis arma, quàm Germanica expaueſcunt; Porrò hic ipſe Rex in Hæreticos Belgas quo animo ſe geſſit? non ne multos annos cum ijs, vt cum fœdis Chriſtianæ religionis Monſtris continenter bella geſſit? non ne inter cæteros Præfectos, Alexandrum Farneſium (ſpectatæ virtutis Ducem) in Belgium miſit? qui ſecundis præliis aliquot factis, nonnullisquè Oppidis expugnatis rebelles, partim ferro domuit, partim ad puros Catholicæ religionis ritus redeuntes in deditionem accepit? Pulchra fuerunt hæc belli decora, præclaraq; Philippi geſta, ſed cur per Præfectos inquiunt? quia tantæ altitudinis, tantæquè Maieſtatis Regem, quo nullus ab Orbe condito maior reperiri vnquam potuit, ex Hiſpania in expeditionem exire non decebat niſi contra potentiſſimũ quempiam, opulentiſſimumquè Regem; Atquè vtinam, vel Selymo, vel Amoracto, vel deniquè huic ipſi (qui nunc regnat) Maometti in mentem veniſſet magnis exercitibus contra Philippum progredi, fortaſſe.n. alterum fatum, quòd Turcis imminere dicitur, enſe Chriſtiano pereundi ad exitum perduxiſſent, ab inuicta ſiquidem Philippi dextra cæſi, proſtratiquè meritas ſuæ temeritatis pœnas luiſſent; Orthodoxæ

verò

verò fidei mortales quotiès vbiquè; & quantopere noſter hic Heros Heróum omnium præſtantiſſimus, ac maximè pius iuuerit, nequè meæ facundiæ, quæ nimis arida, ieiunáquè exiſtit, nequè huius temporis eſt referre, quandò tàm immenſa Philippi beneficentia diſertiſſimo ſcriptore indigere videtur, qui longo tempore, calamoquè indefeſſo rerum ab eo geſtarum hiſtoriam conſcribat, id tantum breuiter me morare poſſum, neminem claris natalibus ortum à Philippi Regiâ vnquam diſceſſiſſe, quin aliquem Philippeę liberalitatis fructum guſtarit; Complures tenuioris fortunæ, tàm Hiſpaniæ quàm Italiæ Principes quotannis, vel muneribus impertiuit, vel ſtipendio auxit, vt lautius, ſplendidiuſquè degerè valerent; ſed hæc leuia habenda ſunt, ſi cum grauioribus ijs, quæ ſuperius de Rodulpho Cæſare, Sigiſmundoquè Batholo dicta ſunt, comparentur; At quemadmodum amicos, clientesquè locupletare propinquis, ſociiſquè Principibus auxilium præſtare Regium eſt opus, ita inimicis prodeſſe, ac benefacere diuinum; Diuinus ergò Philippus, qui tametſi minimè ignorabat, Gallos omnes natura Hiſpanici nominis oſores eſſe, quoſdam nihilo ſecius Galliæ Regulos cũ Henrico Borbonio obſequium præbere recuſarent, qui extincta Valeſiorum gente Regnum Galliæ occupauerat, id iure ſanguinis ſibi deberi aſſerens, cunctos benignè habuit, pro ſuis ſumptibus aluit, & auro refertos dimiſit, Duas quinetiam Galliæ primarias Vrbes; quæ Borbonij itidem Imperium detractabant fame laborántes commeatu omnis generis importato refecit, atquè recreauit, ſemel quidem Lutetiam, iterum autem Rhoanum, miſſo ad id munus obeundum Farneſio Duce intrepido, ac rei militaris apprimè perito. Eruditiſſimos præterea quoſquè Doctores ad ſua gymnaſia, tàm Hiſpaniæ, quàm Italiæ replenda ex variis Prouinciis largo ſtipendio vocari iuſſit, nulliſquè ſumptibus pepercit, vt totius Europæ iuuetus honeſtioribus diſciplinis, nobi-

lioti-

lioribuſquè ſcientiis percommodè imbueretur; At vero liberas Ciuitates, Reſquè publicas quàtoperè dilexerit, quot, quantiſquè beneficiis affecerit, vt reliquas omittam, noſtra teſtis eſt Reſpublica, cui ſemper conſuluit, ex quo ipſam tueri cępit, ſemperquè prodeſſe in optatis habuit, multis quinetiam, magniſquè commodis impertiuit, multis, magniſquè ornamentis condecorauit, quæ ex hoc loco in præſens ſigillatim ennumerare mihi nō minus operoſum foret, quàm vobis, qui hæc omnia probe ſcitis ſuperuacaneum; Illud tantum ſummatim proferam, nullum vnquam Patrem vnicæ filiæ tanta humanitatis, indulgentiæ, charitatiſquè argumenta oſtendiſſe, quantis Philippus noſtram Vrbem ſit proſequutus, quarum rerum memoria, ſicut noſtris pectoribus vſquè adeo in fixa eſt, vt nulla vnquam obliuione deleri valeat, ita quandam nobis materiem præbere videtur, ęgerrimè ferendi, quod Reipublicæ vectigalia, & Prouentus immenſæ Ciuium pro merendi cupiditati minus reſpondeant, quoniam ſi noſtræ Ciuitati, vel Regum Egyptiorum, vel Perſarum diuitiæ, ac opulentia adeſſent, primo quoquè tẽpore in perpetuę gratitudinis monumentum, aut pyramidẽ, marmoreis potius, quàm coctis lateribus extollendam, aut æneum Coloſſum Rhodio, aut impar eà erigendum curaret, appoſito etiam huiuſmodi elogio. PHILIPPI II. HISPANIARVM REGIS GENIO MVNIFICENTISSIMO ACCEPTORVM MERITORVM ERGÒ LVCENSES POSVERE. Quia verò Philippi priuatos mores, domeſticaquè inſtituta Aulæ diſciplinam, cæteraquè generis eiuſdem libenter illis relinquimus commemorãda, qui ſummorum Principum vitas conſcribere profitentur; Et ex his, quæ dicta ſunt facillimè probari poteſt Regem hunc noſtrum Reliquis Regibus religionis cultu, ac rerum geſtarum gloria omnino ſuperiorem fuiſſe, & me aliqua ex parte demandato muneri ſatis feciſſe; Reliquum dumtaxat

vide-

videtur, vt poſtremum ipſius opus æternitati conſecrandum perſtringamus; Erat Philippus iam ſeptuagenario maior, cumq; è vitæ exitu ſe non multum ab eſſe conijceret, veritus ne ipſius obitu (qui paucis poſt menſibus ſuperuenit) bella inter Hiſpanos, Galloſq; diu variis fortunæ motibus agitata incrementum ſuſciperent; Vndè mutuæ Chriſtianorũ cædes oriri ſolent, & Barbaris Orientalibus noſtræ religionis Populos inuadendi occaſio præberetur optimum fore cẽſuit, Chriſtiquè fidelibus ſaluberrimum controuerſias omnes, diſcordiaſquè cum hoſtibus componere, omnemquè armorum ardorem extinguere. Quocirca æquis vtrinquè conditionibus Henrico Gallorum Regi pax eſt data, atquè ita nationes fermè omnes, quæ in Solis occaſum, Septentrioneſquè vergunt, omni belli metu, ac terrore liberatæ imposterum benè, beatèquè degent. Obſecro vos Illuſtriſſimi decemuiri, Patreſquè conſcripti, quid hoc facto illuſtrius? quid admirabilius? quid denique religioſiſſimo, atq; ſanctiſſimo Chriſtianorum Patre dignius excogitari, haberiuè poteſt? Accedant huc ſapientiſſimi viri, ac rerum humanarum peritiſſimi id factum inſpiciant, ſtudioſeq; rimentur, nonne ad extremum affirmare cogentur, hunc Regem ad tutelam ſalutemq; Chriſtiani orbis diuinitus è Cœlo datum? Equidem ſi mihi hodie libera daretur facultas, eius ſepulchro inſcriptionem apponendi, prætermiſſis omnibus Regnorum omnium, dignitatumq; titulis hoc tantum tumulo inſcriberem. PHILIPPO AVSTRIACO REGI DIVINO, CHRISTIANÆ REIPVBLICÆ PARENTI OPTIME MERITO. Sed quid hoc eſt? Heu me miſerum (Nobiliſſimi Ciues) fletum veſtrum renouari, atquè increbreſcere video; O me imprudentem, qui nunquam fore putarim, vt in recenſendis demortui Regis Diuinis laudibus veſter luctus augeretur veſtræquè lacrymę largius fluerent, vbi ſecus res accidit, meæ laudationis vela

con-

contraham, modumquè dicendi faciam; Tantum vos oro, vt fletum, comprimatis ne naturæ legi, quæ vult omnes homines emori, repugnare videamini; Satis in hoc funere mœroris eſt oſtenſum, ſatis lachrymarum eſt effuſum, tanta iactura querimoniis reparari nequit, tanto malo nulla prorſus reperitur medicina, hic veſtra ſapientia eſt opus (Clariſſimi Ciues) reuocate animos, voſquè metipſi conſolamini, cum præſertim non leuis adſit conſolationis cauſſa; Nàm ſi Patrem Indulgentiſſimum, beneficentiſſimumquè amiſiſtis, ecce alium, & nomine, & virtute priori quàm ſimillimum adinueniſtis; Philippus .n. (vt ſcitis) moriens Vrbem noſtram, agros, ditionem, iura deniquè omnia multis verbis hæredi filio commendauit, Ille Paternis Conſiliis, monitiſq; obtemperans iàm nos amanter eſt complexus, iàm nos in ſuam fidem, clientelamquè recepit. Quapropter minimè verendum eſt quin noſtra Reſpublica tanti Regis patrocinio, atquè adminiculo fulta impoſterum quoq; optima pace, ſecuraq; libertate perfrui poſſit.

Dixi.